M. TERENTI VARRONIS EUMENIDUM RELIQUIAE RECENSUIT ET...

M. TERENTI VARRONIS

EUMENIDUM

RELIQUIAE.

RECENSUIT ET ADNOTAVIT

THEOPHILUS ROEPER

PARTICULA PRIOR

GEDANI.
SUMPTUS F. A. WEBER. — TYPIS EXPRESSIT E. GROENING.
[illegible]

M. Terenti Varronis

EUMENIDUM

reliquiae.

Particula prior.

Varronis saturarum quotcunque supersunt fragmentis omnibus versuum ac numerorum impressa esse vestigia quum ego quattuor abhinc annis in Philologi Schneidewiniani volumine nono contenderem, eiusque sententiae confirmandae causa quarundam saturarum locos omnes dedita opera percenserem, aliarum unum et alterum in transcursu, et videretur esse occasio, emendatos pro mea copia restitutosque paucis commemorarem, eam me extra communem fere omnium atque translaticiam virorum doctorum opinionem suscepisse causam non ignorabam, in qua quum rationis atque argumentorum perexigua esset vis, quamquam ne haec quidem deficerent, aliquanto tamen certior eius obtinendae spes in experimentorum consensu atque evidentia posita esse videretur. Sed in tanta taeterrimarum, quibus plerique apud Nonium grammaticum inquinati sunt loci, sordium plane abundantia atque varietate, quam penitus expurgare, ut Varroniana verba sine et ipsa ea labe non mediocriter infecta,

non Hercules potest, qui Augeae egit copron, *)

tantum aberat, ut a meorum vel emendationum vel coniecturarum probabilitate totum illud de saturarum compositione metrica iudicium suspenderem, quippe qui non semel ipse incerta a me in quibusdam proponi ultro faterer, ut viam tantummodo monstrare vellem, qua ingressi non dubitabam quin futurum esset ut doctiores exercitatioresque critici miseris hisce Musae Varronianae reliquiis aliquando salutem possent afferre. Itaque in singula quaedam a me parum feliciter esse tentata, ut iam tum suspicabar, ita nunc plane intelligo, et quaecunque viri docti praecipitibus magis quam strenuis, quibus haud dubie opus est, remediis aggressum indicabunt, facile me dedocendum praebebo, nisi qui veteris opinionis ita sint tenaces,

*) Nonius p. 7 Her. I, 20, p. 242, 15. In libris est *augebes sed compron* atque etiam prius corruptum *augebes sed ampron*, *agebus sed canopron*, *Agebat a se necopron*. Emendatio ex margine Iccii petita, nec sane incertior quam aliorum coniectura *Augiae agebat κόπρον*, et Merceri *Augiae egesit copron*, placitura sane haec quidem, nisi propter Nonii lemma *agendi* verbum restitui necesse esset. Sed dubitari potest an ignotum lemma alii vitiosum quod si sit, malim cum H. Stephano nostro scribere *Augei egit* vel *evertit*. Cfr. Hygin. fab. 30 Ritschl. proleg. Trin. p. CLIII

ut, quod in nonnullis locis refingendis paullo licentius me versatum arbitrentur, ideo totam rationem damnent, videant ii, ne dum me callidius egisse arguunt, ipsi inconsideratius cum hominis unius errore rei veritatem confundere et abiicere videantur. Qui si corruptissimum quemque locum et obscurissimum ita aut emendaverint aut explicatione illustraverint, nulla ut relinquatur dubitatio, quin soluta oratione a Varrone conscriptum et ab omni numerorum restituendorum conatu defendendum nemo non existimare debeat, ego quoque manus dabo, interim persistere in sententia eo etiam magis licebit, quod, quotiescunque vel a muneris scholastici officiis abeundo vel ab aliorum studiorum deverticulis ad hoc lacheolum mihi et alumnum apud Varronianum me recepi, adeo non desperavi, ut multa, quae ante visa essent difficillima, nullo plane negotio effici, multisque in locis etiam illa transponendi sive libertate sive licentia, qua remedio ut optimus quisque in hoc genere criticus uti non est veritus, ita male uti propter ingenium linguae Latinae numeros et proclive est et periculosum, supersederi abstinerique posse intelligerem. Oblata igitur hac laetissima scribendi opportunitate, quom omnes, quibus huic gymnasii nostri diem trisaecularem celebrare contigit, magistri suorum quisque studiorum aliquod monimentum cum festi diei memoria posteritati mandare constituerimus, operae pretium fore mihi visus sum, si eius saturae, cuius omnium plurimae supersunt reliquiae, Eumenidas dico, locos omnes emendatos, quantum quidem mecum valeret ingeniolum, numerisque suis redditos exhiberem: quo etiam id effectum iri arbitratus sum, ut, quibus de unius saturae locis undequinquaginta persuasissem, ii de reliquarum paucioribus in universum iam non esse pugnandum consentirent.

Neque vero, ad ipsum opus faciendum priusquam accederem, praetermittere datam occasionem volui, quin quaedam a me vel commissa retractarem vel ignorata supplerem. In quibus hoc potissimum duco, quod praeter summos illos viros, quos de Varronis versibus restituendis optime meritos praedicavi, eadem in re laudabiliter versatum esse non cognoveram iuvenem e Fr. Ritschelii disciplina doctum sane et ingeniosum, Adolphum Koehlerum, Bremanum, qui in dissertatione Bonnae a. 1851 edita, quam „Exercitationes criticas in priscos poetas Romanos" inscripsit, a pag. 18 ad pag. 31 satis multos harum saturarum locos ita tractavit, ut non modo lectionem depravatam corrigeret, sed etiam versus nondum ab aliis agnitos indagaret restitueretque. De quo ut paucis mihi dicendum esse putem causam habeo duplicem, quod et confiteri partim, quae ego, emendare in versusque redigere studui locos, de quibus vero mihi videor posse assentiri, et de poetica harum saturarum ratione sententiam protulit plane mirabilem, quum non modo raptim saepe ab uno versuum genere ad alterum Varronem transire contendat, quod est verissimum ac ne apud comicos quidem inusitatum, sed etiam mediae orationi pedestri versus ita miscere, ut exquisitorum fines omnino non respiciat, quod neque per se credibile est in homine certo aliquo elegantiae sensu praedito, neque illis ipsis locis, quos attulit Koehlerus, confirmatur. Mihi vero hoc quoque attingendum fuit, quod iis in locis, quos tunc sententiae quasi exempla exhibuit, duo sunt eorum, quos ego alia ratione ad numeros suos revocasse mihi sum visus. De quibus nunc singillatim dicere constitui.

Atque alterum quidem, qui est Papiapapae, *περὶ ἐγκωμίων*, fr. 14. apud Non. VI, 43, p. 456, 5 iam a Scaligero append. Virgil. p. 232 in elegantissimos senarios redactum, et fragmentis 11 (Non. II, 514, p. 135, 22), 12 (Non. III, 184, p. 218, 28), 13 (Non. XIII, 13, p. 538, 12), quae omnia celeberrimis senariis concepta sunt, tam et argumento et oratione similem, ut coniungere cum iis Scaligero non dubitaverit, dubitarique omnino non possit, quin in eadem saturae parte eos locos omnes Varro posuerit, cum, exceptis locum, quod in paucis quibusdam aliter atque factum a Scaligero erat constitui, p. 264 n. 30, disceptari sane potest rectene fecerim an secus, non sequendum esse in senariis restituendis Scaligerum,

prosam orationem esse, ut ille putavit p. 28, immixtis tetrametris trochaicis iisque haudquaquam elegantibus, potissimum quisque, opinor, pernegabit. Quid enim? Varronem, quem versus facere posse elegantissimos reliqua exempla clamant, adeo sibi repente diffisum credamus, ut in argumento poeticae orationis capacissimo verbisque inventis ad numeros ultro concurrentibus laudibus operae impatiens ad prosam confugerit? Omnino si quis versus ab aliis poetis factos soluta orationi suae ille contexit, ut cavillatio eos includat, cum facit et rationi convenientem et usu frequentatam, sin eos ipse versus imperfectos inserit, id semel et iterum ridicule locoseque factum videri potest, saepe factum imbecillis poetae est et hominis inepti. Sed videamus de reliquis. Ad alterum igitur locum quod attinet, qui est Sesquiulixis fr 16 apud Non. IIII, 174, p. 299, 33 sic depravatus: *viae stelligeras aetherie explicant aere caro constum hic in coturnix*, ab Oehlero sic refictus ... *aere caro annulum emisit coturnix*, Kochius cum ad exemplum Lucretiani voces excerpere in eisdem mutandum, versum autem hunc efficiendum putavit p. 30

aetheris vias stelligeras explicans cara aere,

exceptum illum, ut opinatus est, ab oratione pedestri. ego hunc proposui coniecturam p. 260

— ⏑⏑ [perque] *viae aetheri' stelligeras*
explicat aere caro **conitem** *noctarnas* ⏑ — ⏑,

detractum existimans iste quid *ab aere Excubitor,* pro quo etiam aliud placere potest supplementum, velut *noctuae* [*canorum Buccam*]. Cogitavi enim buccinatorem per noctis silentium signum canentem, hyperbolaeque exempla quaedam attuli, quibus addere poteram Lucret. II, 330. Poteram etiam conferre cantorum certa sonum apud Vellerium I 4, 1. Ac buccina certe dici potest *o quein* aes cavum, aut cavos, quidquid arguatur Oehlerus, cogitari, si quid sentio, nullus potest, neque, ut omittam coturnicem mentionem uno quidem sensu pravens ineptam, omnino aere cavo explicari et dicitur, id quomodo ad Nonii glossam *explicare emittere extendere* conveniat, satis videtur intelligi posse, viae stelligerae aetheris, eaeque aere cavo i. e. secundum Oehlerum caelo, quo pacto ab avi alarum remigio auras pervolante explicari dicantur, sive ad Nonii sive ad aliam, quae quidem esse possit, eius verbi interpretationem, nescio an ne pueri quidem eos, quibus magnae canorae pro sententiis planis ac perspicuis veneunt, nemo sit intellecturus. Verum ut sententia sana sit, ut ampullae proiicere poeta voluerit, ut etiam efficiendi verbum hunc locum tueri possit, non significans ut alibi (Lucret III, 496 Cicer. Tusc. II, 24, 57) magnum in emittenda voce contentionem, cur pro pedestri oratione haberi voluit, quae tetrametri initium facere possunt

conitem eloci coternix ...?

Equidem qui neque alia coniecturam meam pro certa emendatione duxerim neque nunc ducam, si verba satis intelligi possent, quae in libris tradita sunt, ne transpositione quidem facta numerorum vestigia agnoscerem

viae stelligeras aetheris
explicans aere caro **conitum** *hic in coturnix* ...,

neque enim apud est aethere *caro aere*, quam *aere* satis notum est exemplis a Ritschelio allatis prolegom. Plaut. Trinumm. p. CXXV. Quid? possitne etiam extremo versu detractum videri *Astrio*, conferrique Sophoclis locus, apud quem Aiac. 17 Minervae Ulixem eloquentis vox exaudiri dicitur χαλκοστόμου κώδωνος ὡς Τυρσηνικῆς? Ab initio certe intercidit praepositio aliqua, quorum accusativus *vias stelligeras* coniungi debeat. Utcunque est, non fuisse versibus conceptum istum locum, neque Kochius persuasit, neque, opinor, quisquam persuadebit.

Iam de reliquis locis, quos ille locum pares perhibuit, liceat breviter sententiam dicere. *Ἐξέρω ἡ λοπὰς τὸ πῶμα, περὶ γεγαμηκότων*, fr. 2 apud Nonium VII, 45, p. 478, 3 sic legitur: *ita uti soliti eramus Romae in balneis plodere coepimus et murmurari*. Priorem partem Koehlus p. 23 putavit leviter mutatam tetrametri trochaici clausulam praebere

[illegible] ita uti soliti eramus Romae in balneis

deinde orationem pedestrem sequi. Quidni autem Varro ediderit:

[illegible] ita
ut soliti eramus Romae in balneis plodere
coepimus et murmurari [illegible]?

vel sic ut *ita ut* in eodem versu pyrrhichii loco sint (cfr. Fleckeisen n. Jahrb. f. Philol. u. Paed. LXI, 1, p. 42)? Nam *balneis* quominus bisyllabum sit, nihil est, quod impediat, vid. Philol. p. 236, add. Ramshorn lat. Grammat. § 220, 4 de vocum dactylicarum in primo senariorum pede accentu dixit Ritschelius prolegom. Plaut. Trinumm. p. CCXXIV. — Endymionibus fr. 2 Non. III, 258, p. 231, 33 in extremis versum latere vidit Koehlus, quem secutus Oehleri commendo ita constituendum dicit

quod videat aliud curantem extrema noctis tempora.

Habet vero totus locus suos numeros partim iambicos partim trochaicos, et sic fere a Varrone scriptus fuisse mihi videtur:

dulcem mitto speculatum tota urbe, uti,
quid facerent homines, experrecti cum sient,
faceret certiorem, et quae melius operam sumeret,
eius consilio ut potius vigiliam dumtaxat ederem meam
quod vidi alium curantem extrema noctis tempora.

Sex versus senarios fecit Scaliger append. Virgil. p. 253, pluribus verborum a Nonio traditorum mutationibus quam quibus mihi opus esse visum ex annotatiuncula critica, quam in inferiore margine posui, apparebit. ¹) — Marcipore fr. 24 ap. Non. VI, 15, p. 451, 3 et omissis verbis *hoc ex* — *palustrem* II, 288, p. 105, 33: *hoc ex ambitu navem conscendimus palustrem, quam nautici equisones per viam quam ducerent loco* vel *qua ducerent lora*, pro quibus *conducerent loro* legendum censuit Adr. Iunius, Merceris atque Oehleri probatus; alii *loco*, in quibus Scriverius anecd. philolog. p. 3d, qui pro *quam* vel *qua*, Popmae omisso, quam legendam esse vidit. Koehlus p. 26 pedestris orationis verba *hoc ex ambitu* excipi putavit a tetrametro iambico

navem conscendimus palustrem quam equisones nautici,

in proximis fortasse creticos latere

per viam ducerent loro —

---

¹) Versu 1 *ut*; 2 *cum experrecti sint*; 3 *me faceret*; *pro melius malim citius*. *experet* emendavit Scaliger. 4 *ut eius consilio potius*; *noctem pro meam*; 5 *quid vidit aliud curantem extrema noctis tempori* pro quibus quod Oehlero, *tempora* Scaligero debeo.

Tria igitur uno in canticio genere, prosa, iambi, cantici quo turbidissimo genere usus videtur poeta, quod in placidissima illa navigatione [1]) succuti se subinde vehementius meminisset. Certam ego quidem et indubitatam non spoponderim emendationem meam, sed paulo tolerabilius scripsisse arbitror Varronem, si scripsit

> . . . . . hic in ambitu [loci]
> navem conscendimus palustrem, quam equisones nautici
> per viam quam ducerent loro . . . . ,

imperfecta propter grammatici neglegentiam oratione, in quo vocem *loro* vocalis exciperet. De monosyllabo navem et pronomine *quam* non aliis pluribus dicere supervacaneum est. — Quinquatribus fr 1 ap. Non. III, 4, p. 190, 29 atque ex parte IIII, 218, p. 314, 13 et IIII, 279 p. 337, 5 Koehlero, qui p 29 priores versus satis probabiliter restituit et versu secundo pro *tuo*, non quidem illo, ut opinatus est, numeros impediente, aptissima tamen emendatione *ideo* rescripsit, plane miror tertium non agnovisse, quem dubium non est, si a levissimis quibusdam discesseris, quin satis commode sic legatur

> . . . . quid medico mihist
> opus? nempe ideo absinthium ut bibam gravem
> et castoreum levemque robur? . . . —

Tanaquile fr 1 ap Non. II, 746, p 166, 25 transpositis inter se vocibus *cogitabit* (ita enim certissime Turnebus pro *cogitarit*) et *segnius* versum tetrametrum trochaicum

> nón modo absens quídquam de te cógitabit ségnius

excipi putat orationis pedestri p 31 Quid vero? nonne legi potest

> . . . . . nón modo
> quicquam absens de te cógitabit ségnius,
> sed étiam humanitatem remorábitur,

in quibus scripsi *hum. rem-* pro *rem hum-*? Quamquam si quis *cogitat* scribere velit pro *cogitabit*, nulla priori transpositione, tetrametros trochaicos effici posse video

Venio ad eos locos, quorum vel in lectione emendanda vel restituendis numeris non eandem uterque nostrum rationem iniit. Ac primum quidem quod p. 234 eius loci, qui est Devictis(?), περὶ φιλονικίας, fr 4 ap. Non II, 674, p 156, 13, numeros esse dixi ionicos a minori, illum consentientem inveni p. 19, nisi quod ille neque omissum aliquid esse intellexit et hexametros videtur statuisse, quem de „prioris versus“ clausula loquatur. Quam clausulam esse dixit *properate vivere*, rationem sive metricam sive prosodiacam secutus quam ego ne coniectura quidem informare possum. Sed credo hunc ipsum quoque palmam esse daturum Lachmanni Sotadeis, ut a me factum est p. 572 [2]) — De versu Eumenidum fr 29 ap. Non. III, 63, p. 255, 15. quem docte exposuerit p. 19 sqq., si non ignorasset Lachmanni sententiam ad Sotadeos eum numeros conformandi in prooemio ind. lect. univ. Berol. hibern. 1849 p. 4, quamquam mihi quidem non satis persuasum fuit epitritos quartos Varronem quoque usurpasse pro ionicis a minori (Philol. p. 568), tamen illum puto ab emendandi conatu fuisse temperaturum,

---

[1]) Navem palustrem intellige quae in Germania inferiori vocatur *Treckschuite*, quod genus per viam in ripa munitam equis promoveri notum. Pro equisonibus audiendos habes ap. Unttal. mi. I 3. 13 sqq.

[2]) Iterum in hac pagina eodem modo quo p. 234 a typotheta Philologi peccatum est in metris describendis scripsimus enim operatis ⏑ ⏑ — — ⏑ ⏑ — —

nunc quem fecit tetrametrum trochaicum ultimis syllabis duabus carentem, quem non adeo venustum quidem, sed tamen, si transponendi audacia (1 4. 3 6. 5. 2) conceditur, tolerabilem, conferre cum iis, quos ipse proposui p. 570, quoniam iterum hic locus tractandus erit, in praesens omitto. — Περὶ παρθένων autem fr 3 ap. Non III, 318 p 351, 27 et Mu1eum multi senarium, περὶ χωρισμοῦ, fr 4 ap. Non III 3, p. 235, 7 versus Sotadeos esse et credamus, ita Luchsmuum exicit p. 5, ut de senariis a Kochio p. 27 et 28 constructis tam ne quaeri quidem debeat — Ἔχω σε, περὶ τύχης, fr 3 ap. Non III. 245, p. 228, 7 male ego in tetrametros trochaicos distorsi p 246 n. 19, creticos esse hunc perspexit Kochius p 28 eosque ita constituit, ut in dipodiam trochaicam exeuntes fecerit. Quod etsi in universum probo, tamen quum medio suscipit in creticis Varro vel anapaestum vel dactylum usus esse videatur atque ita fere, ut ultima vocabuli syllaba in consonantem mutam desinat sequente liquida, ut Parmenone fr 6

alla trabe ... in humum accidens proximum
frangit ramós cadens,

et quum etiam alia quaedam liberius ab eo mutata sint, non acquiescendum in eius emendatione et bene meam virorum doctorum iudicio proponendam duxi

tela dextra vibrant, rima tribus ...
atque in insignibus Martiis torques
aurea et scuta cuchita Hibero
argénto gravi crebra fulgent [1]

Cfr G. Hermann el doctr metr II, 19, 18, p. 267 — Pseudotulla (vel quodcunque nomen est), περὶ ἐπαρχιῶν, fr. 5 ap Non. II, 103, p. 82, 13 merito vituperavit Oehlerum ob non receptam certissimam Mercerii coniecturam *dolere* pro *dolare*, reliqua prorsus pervertit. Non magis enim quam Oehlerus intellexit sententiam ab initio non esse integram et loqui hominem philosophia Stoica commolaxatum. Itaque quod scripsi *nec, dolere ἀδιάφορον esse, qui philosophia commolaxare me in eam partem,* — est autem in libris *quod philosophia coumalaxarem eu patrem,* — *ne neque cupiditati imposui frenos,* pro eo quod traditum est *neque cupiditas non imposuit frenos,* tantum abest ut mihi probaverit, ut summam coniectione etiam nunc frenos eundem quam proposui in Philologo p. 247 n 22, in verbis autem emendandis constituendisque versibus, quorum quidem ille nullam rationem habuit, etiam minus longe, quam ... feci, a librorum auctoritate recedendum esse videam et sic fere Varronem scripsisse existimem

... nec dolére adiaphoron ésse, quod philosophia
cómmolaxat in eam partem me, neque irato mihi
habitum dedit unquam,
neque cupiditas nón imposuit fréna ...

---

[1]) Versu 1 in libris est *vasalle et vasatelia*, quod Oehlerus mutavit in ... Kochius in ... quid significent intelligi velim ex Polyb. VI 23. 12 ... v. 2 ... addidi cum Oehlero, Kochius atque ... *Martis insignibus* ... *Martiis* ... *torques* ubi, *torcuas* Kochius, qui autem et v. 4 transpositionesque unus in versu suo 3, suo 4 ... *gravi* ...

Versu primo quod scripseram nec (dubito) *d. a. e.*, ad sententiam verum est, ad verba non necesse, quia caput enuntiati laterit: versu quarto cupiditatem sibi non esse infrenatam dicit. — Gerontodidascalus fr. 16 ap. Non. I, 234, p. 47, 27, quem locum emendavi p. 228 (add. p. 571 n. 1), *solebat* in *solet* mutandum esse quam et ipse olim putassem, re accuratius pensitata et facilius restitui visum est et ad sententiam commodius *solvet*. Hoc in loco ut in eo qui est Modio fr. 17 ap. Non. XVII, 3 p. 550, 18 ego p. 228 *tacitus* reposui pro deminutivo quod erat *tacitulus*: Koehlus p. 25 utroque loco deminutivum retinuit, neque tamen sic quoque numeros satis constare. Viderint peritiores, utrum elegantius dicatur

nóvus maritus tacitulus taxim uxóris solvet cingulum,

an

nóvu' maritus tacitus taxim uxóris solvet cingulum,

et in

. . . . . hanc eandem voluptatem,
tacitulus taxim consequi lapathio et ptisana possum,

an

. . . . . hanc
eandem voluptatem tacitus taxim consequi
lapathio et ptisana possum

vel hiatu admisso

. . hanc eandem voluptatem tacitus taxim consequi
lapathio et ptisana possum

— Ὄνος λύρας fr. 1 ap. Non. VIII, 5, p. 484, 12, quem locum in quattuor senarios digessi p. 263 n. 23 video offensioni esse posse quod v. 1 versum fuit caesuram in penthemimerem *ad*, neque opus fuisse v. 3 transpositis verbis scribere *quadrupedem* cum in libris esset *quadrupedem*, esse igitur locum aliquando retractandum. Galliambi tamen, quos Koehlus fecit p. 27 eiusmodi sunt, de quibus aut omnino quaerendum non sit, aut, si sit, pluribus quam fieri per huius prooemii angustias licet. Itaque ad Eumenidum fr. 36 rem reservabo. — De Sesqueulixis fr. 13 ap. Non. II, 845, p. 179, 1 sententiam meam p. 235 propositam ita ipse retractavi p. 572 sq., ut dubitationem relinquat vox *tegillum*, quam ego secutus originem a tegendi verbo ductam volui esse antepaenultima brevi, quam longa sit in versu Plauti Rud. II, 7, 18, qui vulgo sic legitur:

tegillum eccillud mihi unum arescit, id si vis, dabo,

apud Fleckeisenum

tégillum eccillúd mihi unum arét: id si vis, dabo,

nullo apud Paulum excerpt. Fest. p. 366. ed. Müller.

tegillum mihi aret: id si vis dabo,

eadem productae syllabae anomalia quae est in eiusdem originis vocabulo *tēgula*. Nisi forte transpositis in versu Plautino verbis Varro legit

unum eccillud mihi tegillum aret, id si vis, dabo

Neque tamen fieri non potest, ut Varro rationem quam auctoritatem sequi mallet in vocabulo a poetis fortasse non ita valde frequentato. Est vero etiam altera dubitatio in voce *vilicus*, ut verum vidit *Lachmannus* comment. in Lucret. VI, 552, p. 379 *melicum* dixisse antiquiores, *melicus* Persium Iuvenalem Martialem,

in hellenicis notem quae feruntur Ovidii v. 95. pro milvi legendum esse Sole. Mihi igitur sic potius agendum erat, ut priorem Sotadeum sic scriberem

ingere volitans visus aquam e nubibus tortam,

milvus autem in eo qui antecesserat versu locum habuisse diceretur. Eadem vero dubitatio cadit in tetrametros trochaicos quos transpositis vocibus *tort. e nub.* pro *e nub. tort.* tales feci:

ingere volitans milvus visus acuam tortam e nubibus
indicat fore, ut tegillum pastor sibi sumat — ,

quod eo etiam magis mirari licet illum non curasse, quod de solvenda voce acuam eundem commentarii Lachmanniani locum ipse laudarit. Hac enim lege admissa versus et perit, nisi credat tolerari posse *e. v. visus milvus aquam t. e o.* Ego, si tegillum dicere licet antepaenultima correpta, quod mirum licent necne ancipitem disputationem habet, Sotadeos meos relinqo, sin minus, ad senarios p. 238 positos iis redeo, ut versus secundi lacunam sic quoque expleri posse arbitrer

— ingere volitans milvus
si visust, acuam e nubibus tortam indicat
fore ut tegillum pastor sibi sumat — . [1])

— Eiusdem Sesquiulixis fr. 21 ap. Non. VIII, 70, p. 492 sic legendum sit p. 30

— — Pieridum comes
quae tenent gela cavata patria laxa montium,

Ego cur *tenet* et ex Scaligeri emendatione *saxa* solus duxerim, exposui p. 265, *patria* pro *patri* placet propter locum Vergil. Georg. I, 44 Propert. V, 3, 39; de verborum ordine, quum mihi quoque pluribus opus esse verborum transpositionibus videretur, nihil definivi. Jam una ultimorum verborum transpositione defungi posse intelligo, qui talem Varroni tribuat Glyconeum

— Pieridum comes,
quae tenet cavata gela
patria saxa montium;

nec multum abest, quin illi in cantico legendum esse *tenes* cum Scaligero, qui Echo hanc Pieridum comitem dici sensit, mihi persuadeam. Sequitur etiam ut fr. 22 ap. Non. XII, 2, p. 518, 4 non trochaeis constare putandum sit, ut malui p. 268, sed, quod fieri posse eodem loco indicavi, Glyconeis

— Thespiadum choro
derepente — .

— Denique Sexagesi fr. 4 ap. Non. VI, 65, p. 460, 7, ascita Schneideri emendatione ad Varr. r. rust. III, 11, p. 554 ultimoque verbo, quod erat *sequens*, transposito, hoc construxit bacchicum systema p. 30

neque quasquiqumnas
anatis tremipedas buxeis rostris pecudes
paludibus sequens nocte nigra ad lumina limpoda, [2])

---

[1]) Etenim in voce corrupta *mulsus* latere *milvus* idem omnes credidimus Scaligero adstipulati ad Varr. ling. lat. p. 36. ed. Dordrac. (p. 57 Bipont.).

[2]) Sic enim distribui sine verborum fracturis possunt versus quos hic indivisos continuavit.

in quo si offendat extremae arseos solutio, quam ab antiquis poetis usurpari negat Godofr. Hermannus elem. doctr. metr. II, 23, 5 p. 294, scribi posse

ad lampadis lumen.

Quod systema tantum abest ut sit elegans et simillimum ei quod Godofr. Hermannum II, 23, 10 p. 383 indagasse dixi *περὶ ἐξαγωγῆς* fr. 4 ap. Non. IIII, 279 p. 336, 31, ut non modo longarum syllabarum solutionibus, sed etiam anacrusibus nunc longis nunc disyllabis plane scateat, quae res est quidem apud comicos veteres et praecipue Plautum usitatissima, neque tamen ab artis elegantia non est aliquantulum remota, neque similitudinem habet loci illius Varroniani, in quo, si bacchiaci systematis perpetuitate cohaerere cum Hermanno creditur, in duodecim versibus anacrusis una tantum eaque prima longa est, disyllaba nulla, longae syllabae solutio una, contra apud illum, si posterior emendatio admittitur, ne quid dicam de litera s in eodem versu bis exterenda, in decem pedibus anacruses longae duae, disyllabae quattuor, longarum syllabarum solutiones tres, quasi quendam cumulum efficiant inaequalitatis. Quid? ille ex natura *περὶ ἐξαγωγῆς* servatus locus ne bacchiaci quidem systematis pars esse videtur, sed cretici ad argumentum sententiamque multo aptioris

germanum [enim] *te esse dicam, fera qui sanus*
corporis fervidos fontium aperis lacus
sanguinis teque vita levas ferreo
ense? —

enim enim quam facile post eam potuerit intercidere satis perspicuum est. Deinde si Palmerii inventum *quaxagipennas*, quo vitiosum illud, quod in libris traditum est *quas agi pennas*, probabiliter emendari multis visum est, habet sane de quo dubitetur, tamen Schneiderianum illud *quasnalipennas* vel potius *quasnatipennas*, quo querquedulos significari voluit, ne ferri quidem debet. Quas porro ab Oehlero vendicari sibi passus est anates tremipedas? quem eo latuerat quidem locus Ausonii epist. 3, 15, *remipedas* autem Varronem edidisse iam Schneiderus viderat, viderat etiam alii. Denique ista bacchiorum lamentabilis tarditas quantum abhorret a vegetissima illa, quam ipsa verba spirant, alacritate venantium? Nonne ad eam multo convenientius est illud systema choriambicum dimetris variatum [1]), quod posui p. 235 n. 4? Idque, exceptis illis neque *quaxagipennis*, de quibus nondum satis liquet, etiam nunc legendum persevero:

neque
quaxagipennis anates, remipedas,
buxeirostris pecudes, paludibus
nocte nigra ad lumina lampadis sequens. —

Sed de Riesii in Varronis saturas exercitationibus criticis satis haec dicta sint, quae nolim ita accipi, ut eius reprehendendi causa a me dicta videantur, quod ut a meo ingenio abhorret, ita fieri huius viri, qui scribendi nobis sive occasionem dedit sive officium iniunxit, gravitate pariter ac facilitate foret indignissimum. Quamvis multa enim iuveni maturescentibus etiamnum studiis vel imprudenti vel festinanti exciderint minus probabilia, quae fortasse ipse nunc sciens volensque abiciat, expertus ego quanta sit in hoc genere ad errandum proclivitas, non modo facile inducor ut humaniter feram, sed etiam gaudeo, quod non paucis in locis si non eosdem, quos ego, at numeros tamen agnoscendos esse intellexit, magnamque gratiam habeo, quod ipsius errores refellenti data est occasio corrigendi meos. Neque hercule me fugit,

[1]) Varronem in hoc versuum genere secutum esse Callimachum et Philiscum existimat *Leutschius*, Götting. gelehrt. Anzeig. a. 1865 pag. 1072.

etiam in reliquis, quae a me olim proposita sunt, superesse corrigendorum copiam, quae ultima benigna concedantur iudices. Eorum ego partem ipse hoc loco castigare constitueram et quidquid esset mutatae sententiae non dissimulare, sperans fore ut coniectationis varietatem aequi iudices varietatis investigandae studio redemtam aliquatenus atque compensatam existimarent. Nec enim in quo versor argumentum eiusmodi est, ut in multiiuga illa metrorum varietate eorumque partim ad Graecae artis subtilitatem partim ad consuetam illam veteribus poetis Latinis licentiam factorum, quam non modo non agnosit sed etiam misere perturbavit posterorum incuria doctrinaeque antiquae ignoratio, uno, quod primo iterumque adspectu satis probabiliter tibi visus sis repperisse, idem confidere debeas liberum atque immune esse ab omnibus vanae speciei fallaciis, sed multa experiundo, multa tentando, multa retractando propius in dies accedatur ad eam, quae sola in his rebus sperari potest, veri similitudinem, ea autem nunquam sit desperanda semperque illud tenendum, quod fuit olim in proverbio ἐς Τροίαν πειρώμενοι ἦνθον Ἀχαιοί (Theocrit. 15, 61). At universo magnam iam eius spatii, quod commutationi nostrae concessum est, partem absumpsit huius prooemii amplitudo, neque iam superest nisi ut pauca locos, ita uti nunc restitutos malim, nullis verborum ambagibus adscribam.

Aborigines, περὶ ἀνθρώπων φύσεως ap. Non. II, 675 p. 158, 16 (Philol. p. 228)

> .... itaque breui[1]) tempore
> magna pars in desiderium páparum [puellárum]
> et sigillorum ueniebat ....

Longe fugit qui suos fugit fr 1 ap. Non. III, 44 p. 204, 22 (Philol. p. 236. 242)

> .... sed ubi serat haec legumina
> arte pauca, cicer, eruilum, ac pircens alia áspria[2])
> uetera ....

Sesquiulixes fr 7 ap. Non. II, 113 p. 83, 23 (Philol. p. 250)

> álterum etiam[3]) déformasse Cárneadem uirtutis e[4])
> cápia aeris auéta ....

Ibidem fr. 8 ap. Non. II, 235 p. 99, 30 (Philol. p. 250. 255)

> unám viam Zenona moliensse duce uirtute,
> hanc ésse nobilem, álteram Epicuron[5]) deambuláse,
> bona córporis secutum ....

---

1) Monosyllabum est, ut ap. Plaut. Mil. glor. 4. 2. 29. Vid. Ritschl. prolegg. Trin. p. CLX.

2) Libri ac poregia alia sphola. Numeris versus constitutis, vereor tamen ut ipsum locum satis emendaverim.

3) Etiam monosyllabum, ut alette ap. Horat. epod. 12, 7 bisyllabum. Laurenbergius enimo pro etiam.

4) Hoc alterum habeo, praeter illud quod commemoravi p. 7, exemplum praepositionis in clausula versus collocatae, iterum Parmenonis fr. 3 ap. Non. V, 24, p. 428. 10

> .... poema est lexis [enmetros
> sive] eurhythmos, id est verba plura modi[f]ce in
> quandam coniecta formam; itaque distichon
> epigrammation vocant poema. poesis est
> perpetuum argumentum e rhythmis ut Ilias
> Homeri et Annales Enni. poetice est
> ars earum rerum.

Prius supplementum petivi e Laertio Diogene VII, 60, alterum partim sententia ac numeri suadent. — De praepositione ait Dionys. descripsi. Simon 99 124. — Versum enim ut alterius si forte minus est elegantia, ea vel ferri potest vel tolli (numquam versus esse vix largietur), qui prosam his satiris v unilandi ... quorum causa hoc exemplum omittere nolui.

5) Libri Carneadem. Ipsum fortasse Enni vide, quo illo ut superioris fragmenti similitudine

Ibidem fr. 16 ap. Non. IIII, 537 p. 547, 14 24 (Philol. p. 256) non opus est transpositione, si *Minervos* ita bisyllabum esse potest, ut *menstrare* trisyllabum. Ibidem fr. 11 ap. Non. IIII, 451 p. 495, 20 (Philol. p. 256)

. . . *nundinis duodecim domum profectum*
decem annos nulidos erratum . . .

Ibidem fr. 17 ap. Non. IIII, 25 p. 242, 27 (Philol. p. 261) videntur esse paries hexametrorum

ubi quod lupam alumna
fellarunt olim

Ibidem fr. 24 ap. Non. IIII, 42 p. 247, 23 et IIII, 108 p. 276, 4 (Philol. p. 266. 264)

. . . *adversi venti ceciderunt, qui si [tamen]*
pergunt diutius mare volvere, verum ne me quoque,
quom domum ab Ilio alto cessim venero, praeter canem
cognoscat nemo . . . [1])

Quibus in locis omnibus ne unum quidem verbum sedem mutarit.

Atque his tam finem praefandi facturus eram, nisi hoc ipso quo haec urgente iamiam typographo commentor die allatus ad me esset Annalium Jahnianorum vol. LXXVII fasciculus 4, in quo de philologorum conventu Vratislaviae nuper habito relatum est. Quo in conventu quod Ioannem Vahlenum, v. d., a. d. III non. Octobr. meam de Varronis saturis sententiam ita oppugnasse legi, ut, illum versibus suis prosam orationem miscuisse, id vero minime negandum esse contenderet, ea de re uti iam antea nostrum mihi fuit, ita ne nunc quidem quibus ille usus sit argumentis satis cognovi. In quibus si retulit locos a me parum evidenter correctos, non habeo quod iis, quae iam dicta sunt, addam. Quod vero idem saturarum quarundam etiam explicare argumenta earumque velut lineamenta quaedam cogitatione redintegrare ipsasque ex fragmentis quodammodo instaurare dicitur conatus esse, eo, quamquam ego quam felicitas ille in re admodum lubrica ingenii indulserit, sic tamen utar, ut, quom tres potissimum elegerit, quibus nomina inscripta fuerunt Ὄνος λύρας, Papiapapae περὶ ἐγκωμίων, Eumenides, postquam Eumenidum locos paulo diligentius tractare constitui, reliquarum fragmenta ea, quae adhuc putantur prosa oratione scripta esse, quae ad numeros referenda esse mihi videantur, aperiam.

Ὄνος λύρας fr. 1 ap. Non. I, 275 p. 56, a restitui et in versus redegi Philolog. p. 263 n. 20. Fr. 2 ap. Non. I, 21 p. 7, 14. Sunt octonarii trochaici:

. . . *saepe totius theatri*
tibiis, crebro flectendo, commutare mentes, frigi
animos eorum . . .

Fr. 4 ap. Non. III, 140 p. 215, 17 Sotadei

. . . *et suam idem Briseida ducunt*
paeducere quae eum mercia tractare solebat

Fr. 5 ap. Non. II, 46 p. 79, 33 senarii iambici

[en] *primum eum esse physicen, et alii emphylos,*
ut ipsa vox, bacte suus . . .

---

[1]) Ex Laurenbergii additamento post verbum *ceciderunt* inserit *album est mare* iam bonas condiciones pronuntiem quamquam fieri vix potest quia talis quid omnino arcedatur. Poterat istic v. 1 scriptum esse *album est mare et* vel *albent maria*. — De accentu verbi *volvere* dubitabunt nonnulli cum Ritschelio p. CCXXIX, ex in quadrisyllabum quidem excusabunt. At legere Plautum et Terentius migravit quidni etiam Varro? „At quis . . . pergit . . . volutar“. M. St.

b*

Fr 6 ap. Non. II, 885 p. 182, 31 III, 281, p. 230, 30 hexametri heroici

surgere coepit decens quare facis atque
in vulgus vulgas autumnaque expromis inertem?

De fr. 7 ap. Non. VIII, 5 p. 483, 12 dixi in Philologo p. 283 n. 29 et in hoc prooemio p. 7 et p. 10 n. 4.

Fr. 8 ap. Non. XVIII, 16. 23 p. 555, 3. 31 septenarii iambici

nempe sues silváticos in móntibus sectáris
venábulo aut cervós, qui tibi nihil mali fecérunt,
verútis, ah artem praeclaram . . .

Fr. 9 ap. Non. III, 140 p. 215, 15 septenarii trochaici

sciéntia
dóceat, quemadmodum in psalterio éxtendamus nérvias.

Fr. 10 ap. Non. II, 185 p. 93, 14 septenarii iambici

iúas autem ipse fráter
ciborum fuit Aristóxenus

Fr. 11 ap. Non. II, 557 p. 141, 9 senarii iambici

et non plus tésticulorum offenderis
[in hómine], quam in castráto pecore in Apulia
vincór non esse másculum ad rem

Fr. 12 ap. Non. I, 278 p. 56, 21 senarii iambici

hómines rusticos
[solitos esse] in vindémia incondita
cantare, sarcinátricis in máchina ¹)

Fr. 2 et 13—22 versibus conscripta esse omnes consentiunt.

Papiapapae, *περὶ ἐγκωμίων*, fr. 1 ap. Non. I, 106 p. 26, 21 octonarii trochaici

ille alés gallus, qui suscitabat Atticarum
Músarum scriptores, ás[ne] hic, qui gregem rabulárum . . .

Fr. 2 ap. Non. I, 105 p. 26, 17 septenarii trochaici

quaré silent
linguinosi obtrectatores isti? iam nunc murmurant
ét dicunt μωρόσοφοί τις μᾶλλον ἢ μωρός ἐστι.

Fr. 3 ap. Non. VIIII, 1 p. 495, 28 septenarii trochaici

unus optat in monasterio ...dum
tabes

Fr. 4 ap. Non. I, 108 p. 26, 30 octonarii trochaici

praeter venter
erepsit mihi peccatum, de ea re questum ad ánnum veniam
ad novum magistratum, cum hic rapo ómbrum quoque spes devoravit.

---

¹) Fr. 6 v. 1 libri *et id dicunt eum Briseidem* quae quam alter manifesto Sotadeus sit, paullo liberius correxi sed ut certiora invenire cupiam. — Fr. 10 v. 1 de secunda propter nominis Aristoxeni mensuram antispasticam correpta cf. Ritschl. proleg. Trinumm. p. CXXXVII alia quaedam afferam ad Eumenid. fr. 12. — Fr. 11 *Apulia et Italia* sic fort. Plaut. Cas. prol. 72. — Fr. 12 v. 2 libri *vindemia*. — Ceterum semel admonere sufficiat, me, quas voces uncis [ ] inclusas supplementa versibus tanquam inserui, dumtaxat exempli gratia posuisse, non ut ab ipso Varrone ita scriptum existimare videar.

Fr. 5 ad numeros Sotadeos referre conatus sum in Philologo p. 573. — Fr. 6 ap. Non. I, 67 p. 10, 5 octonarii iambici

si et accusator et reus erunt
tenebriones, uterque utrumque vituperato

Fr. 7 ap. Non. IIII, 253 p. 322, 9 septenarii trochaici

qui potest
laus videre vera innocuis? saepe furacissimus
ac nequissimus ab iuxta ac Publius Africanus [est].

Fr. 8 ap. Non. VII, 85 p. 478, 6 septenarii iambici

hac Graecia renuntiato
[ ] *ut facile intellegeres, nos ab his amari*
commurmurantur auctus

Fr. 9 ap. Non. IIII, 125 p. 281, 29 septenarii trochaici

dominum convivi
vinum alcedrs quidni laudabo ¹)

Fr. 10 iam Oehlerus, nescio an aliis praeeunte, metricum exhibuit. — De frgg. 11—14 dixi in hoc prooemio p. 2 sq.²)

Sed iam satis superque prooemiatus sum tempusque est ad ipsum propositum tandem aliquando me accedere. Neque vero, etiamsi minus chartae praefatione absumpsissem, hoc quod singulis concessum est ad scribendum spatii satis amplum videbatur futurum, quo illud quod institueram totum complecterer. Itaque bifariam dividere argumentum constitui et, quos servavit Nonius Eumenidum locos, eorum quartam fere partem huic prooemio adiungere, reliquos ad aliam, quae prima dabitur, scribendi differre opportunitatem. Ordinem autem locorum eum retinui, qui Oehlero placuit, ea de causa quam exposui Philolog. p. 226. Quamquam enim huius naturae tanta est reliquiarum copia, ut quaedam quasi descriptio fabulae redintegrari posse videatur, habetque ordo Oehlerianus in quibus displiceat, eo tamen nunc quoque malui arbitrarium omittere negotium, quod spes est fore propediem, ut actis conventus Vratislaviensis in publicum editis cognitaque Vahleni sententia aliquanto certius ea de re iudicari possit. Eandemque ob causam, quam Philol. p. 226 indicavi, in locis Nonianis exscripsi verba editionis Basileensis, paginasque et lineas adieci secundum Mercerianam, quibus nunc addidi etiam paragraphorum numeros e Gothofredi editione Auctorum Linguae Latinae, quod eos in lexicis citari video et optandum est ut futurus Nonii editor ea commoditate homines harum litterarum studiosos carere ne patiatur. Iam vero ad ipsos Eumenidum locos accedamus.

---

¹) Fr. 2 libri v. 1 *quare residit*, Ald. *resident*; v. 2 *murmurantes dicunt*. — Fr. 3 [illegible] *optanti* [illegible], emendavit Popma, nisi quod scripsit *obsecut*. — Fr. 4 *devorasset*. Conspicitur in his versibus ea rerum metrorum [illegible] Scaenae, qua veteres poetae [illegible] in depingendis vehementioribus hominum affectibus uti consueverant. — Fr. 5 de *ar* producto cfr. Ritschl. p. CLXXV. Versus ipsos etiam aliter dimetiri licet. — Fr. 8 de versuum genere nisi dubitare non sinunt singulorum [illegible] secundi tamen [illegible] priorem restituendam aliis relinquo, v. 2 libri *auctus* (Oehl. *amari*) litere *aucto*. — Fr. 9 libri *quid mi laudata*, [illegible] Popma coniecit, *laudabo* Gerlachius, [illegible] vim habente futuri, quem etiam confidentius sequerer, si exempla suppeterent.

²) Sero atque hunc ipsum iam describendum [illegible] operis ad [illegible] legi (Zeitschr. f. d. AW. 1857 nr. 60), quartam a Vahleno [illegible] esse saturam quae inscripta fuit Ταφὴ Μενίππου. Cuius quae adhuc [illegible] prosa oratione conscripta fuisse fragmenta quinque, ea sola ad numeros revocata habeo, occupato iam spatio in aliud [illegible] cogor.

Eumenides.

1 Nonius 1, 27 p. 9, 3. „Caperrare est rugis frontem contrahere et asperare, tractum a capreaum frontibus crispis — Varro Eumenidibus *quia mihi caperratam tuam frontem, Strobile, omittis.*"

Ita Basileensis editio, in prioribus est *caperare* et *caperatam*. De origine verbi fere consentit ipse Varro de ling. Lat. VII, 5, 107 „ut apud Naevium . . . in Dolo *caperata fronte*, a caprae fronte," item in excerptis Festi Paulus Diaconus p. 48 ed. Müller „*caperatum* rugosum a cornuum caprinorum similitudine dictum." De significatione accedit glossa Placidi p. 456 „*caperrasere*, rurugare, contrahi." Itaque quod ex Papia nosse affertur „*caperare*, interrogare", melius in alio codice (Paris. 7644) legitur *irrogare* i. e. *irrugare*, itidemque quod est in cod. Paris. 7613 „*copperare*, interrogare, contrahere, inde *copperatum*, contractum, rugosum, rigidum, erectum" (Du Cange glossar. med. et inf. latinit. ed. Henschel II p. 134) dubitari non debet, quin *interrogare* corruptum sit ex *inrugare*, potest dubitari an etiam *contrahere* ex *contrahi*, quod est apud Placidum. Non enim videtur inveniri verbum nisi potestate neutra, ut apud Plautum Epidic. 5, 1, 2, qui versus a Nonio hoc ipso loco et II, 795 v. severitudine p. 173, 6 laudatus vulgo sic exhibetur

quid illuc est, quod illi *caperat* frons severitudine?

et apud Ausonium edyll. 13 extremo centone nuptiali „prurire opusculum Sulpiliae, frontem *caperare*." Item simile verbum rugandi apud Plautum Casin. 2, 3, 30 „vide palliolum ut *rugat*," eisdemque ap. Gell. XVIII, 12 „*rugat* pallium, amictus non sum commode." Similis autem est metaphora ei, qua usus est Apuleius de Deo Socratis p. 105 ed. Hildebr. mai. „vela nostra sinuare . . . , ne pendula et flaccida neve restricta et *caperata* sint." Sed proprie, si quidem proprietas dici potest in vocabulo incertae originis, *caperatam* vel *caperare* dixerunt frontem, ut in Naevii, Varronis, Plauti, Ausonii locis quos attulimus, atque huius etiam ad Symmachum epistola edyllio 11 praeposita, neque me fallit fore aliquem, qui hunc locum nostrum senilis naribus et *caperata* fronte contrectet. Inde ductum est, quod scripsit Apuleius metamorph. IX, 16, p. 790 ed. Hild. mai. „iracundia et odiosi mariti tui *caperratum* supercilium ubique perhorrescit." Nam et frons contrahi dicitur et supercilium, item utrumque remitti, cuius peculiaris exempla in lexicis afferuntur, deinde Cicero de provinc. consul. 4, 8 Pisonem libidines suas tenebricosas „fronte et supercilio" contexisse scribit, post redit. in sen. 7, 15 eundem senatum populumque Romanum „rugis supercilioque" decepisse, denique ex glossa cod. Par. 7613 etiam alios *caperatum* supercilium dixisse colligas, nisi ea ad ipsum illum Apulei locum pertinere videatur. Unde vero derivatum sit caperandi verbum nomenque caperati, prorsus ignoramus, de capris quidem certe nihil aliud quam negantur veteres etymologi, refragante quam re iam vocabulo. Neque si quid obliterati nominis subest, sive capus sive *capera* sive *caperra*, et cum nomine Graeco, quod est ὀφρύς, esse aliquam cognationem caperatumque quasi ὠφρυωμένον esse ausim affirmare, neque, ut tolerandi verbum a tollendo, reciperandi a recipiendo, ita et caperandi verbum a capiendo ducere velis, quae capiendi hic notio esse possit, satis perspicio. Ambigitur vero etiam scriptura. Nam quum unum r adhuc omnes probasse videantur, mirabiliter accidit, ut in optimis codicibus, qui quidem adhuc accurate diligenterque collati sint, duplicatum inveniatur, qua de re conferenda est adnotatio critica in Varrone Spengelii, in Apuleio Hildebrandi, in Paulo Lindemanni, in Nonio Basileensium, nam de Placidi glossa dubito, quam a Maiano collectione inspicienda prohibitus in Klotzii exemplo (n. Jahrb. f. Philol. u. Paedag., Supplem. II p. 456) *caperrasere* inveneris eoque et Hildebrandus ad Apul. metam. l. l. et O. Ribbeckius Comic. Lat. reliqu. p. 318 usi videantur, contra apud Müllerum ad Pauli l. l. *caperrassere*, quam

suspicari licet id ex ipsa illius collectione accepisse. In Plauti et Ausonii codicibus si quid variatur, me quidem latet. Neque tamen eo magis in Plauti versu Nonianam scripturam spreverim, priore loco omnium codd. mss. consensu, altero aeris Leidensis auctoritate commendatam, praesertim quum parum eleganter in vulgata lectione vocis *illi* prior syllaba non producatur modo sed etiam numeri percussione efferatur, contra et sententiae et numeri Plautino conveniat lectio Noniana.

quid illuc est quod illi caperrat frons severitudine?

Quae si vera est lectio, etiam clarius apparet, in Pacuvii versu, qui est apud Nonium III, 89 p. 204, 30 sic traditus

voce suppressa, *innuta* fronte, vultu turpido,

Ribbeckium vers. 384 (Tragic. Lat. reliqu. p. 107), quum in loco illo Varronis de ling. Lat., quem supra attulimus, non Pacuvii Dulorestem, quod Scaliger fere omnibus persuaserat, sed Naevii Dolum citari Müllero credidisset, tamen parum considerate secutum esse cum Bothio et Stieglitzio coniecturam G. I. Vossii, qui castigat. et not. in tragic. vet. fragm. (Lugd. Bat. 1620) p. 89 et 119, quod illo loco Dulorestem commemorari crederet, sic esse scribendum censuit

v. s., *caperata* fronte, v. t.

Quam emendationem qui probat, eum necesse est geminatam literam librariorum tribuere inscitiae, si vera sit scriptura ea, coniectam illa non potest non falsa existimari. Quod autem posteriore loco idem Vossius Nonianum illud *innuta* vel, ut est in quibusdam codd., *eunuta* corruptum ait ex insolentiore vocis *caperata* glossemate *trata* vel *rugata* vel *irritata*, propius ad id quod verum est accessit, proxime abfuit quum postea etiam concederet et a Naevio et a Pacuvio Dulorestem scriptam esse, atque in Naeviana quidem fuisse *caperata fronte*, in Pacuviana *rugata*; ita enim scripsisse Pacuvium si non certum, longe tamen credibilius est, quam ex Gerlachii coniectura *annutata*. Sed ut redeam, unde digressus sum, etsi nondum per se satis constet, utrum sit verius in hac de qua quaerimus voce, *r* an *rr*, interim optimorum librorum auctoritatem non esse detrectandam putavi.

Strobilus servi nomen est in Plauti Aulularia. Quem quod in ea fabula 4, 4, 14 de Euclionis senis avari ac valde suspicacis turbis sic dicentem poeta fecit:

Larvae hunc atque intemperiae insaniaeque agitant senem,

ea fortasse causa fuit Varroni eius personae in hanc saturam inferendae, in qua quum de variis hominum insania i. e. stultitia ac perversitate, atque in his avarorum quoque (cfr. fr. 33), dicere instituisset, Strobilum servum cum aliquo conservo sermocinantem eiusque amo, ut Encolpium fecit Petronius, narrantem videri potest induxisse.

Ruhnkenius ad Rutil. Lup. I, 21 pro *omittis* maluit *remittis*. Ac sane frons ipsa remitti dici potest, omitti non potest; sed omnis vis in adiectivo est, quo animi affectus significatur. Itaque si frons omitti recte dicitur et sollicitudo et iracundia et tristitia, quidni etiam is vultus habitus, ex quo hominis tristitia ac severitudo agnoscitur?

Ad numeros quod attinet, vix quemquam puto dubitaturum quin iustus sit iambicus septenarius hic versus

quin mihi caperratam tuam frontem, Strobile, omittis.

Tamen propter proximum fragmentum aut in hunc modum diducti malerim

quin mihi caperratam tuam
frontem, Strobile omittis

aut aliquid interiectionis omissum putare, quo velut suspirio Strobilus amici adhortationem interrumperet, ut versus sit octonarius talis:

quid mihi caperratam tuam frontem, Strobile, omittis? [Str. Oh!]

2. Nonius I, 34 p. 12, 10. „Lurcones dicti sunt a lurchando. lurchare est cum aviditate cibum sumere. — — — — Varro Eumenidibus: *Contra cum psalte pisia, et cum Flora lurcare et strepis.*"

Pro *psalte pisia* apud Iunium et Gothofredum (quem, cum fere ubique Iunium sequatur, non nominabo nisi ubi quid discrepat,) legitur *psaltria*, apud eundem *adstrepis*, utrumque, ut videtur, nulla codd. mss. auctoritate; ed. Venet. a. 1490 *pisia* et *flora* et *astrepis*. Mercerjana *pisia* et coniunctim *adstrepis*.

Popma huius lectionem retinuit. Oehlerus Gerlachii coniecturam secutus edidit *cum psalte psaltis et lurcare ac strepis*, quorum posterius non dubito quin verum sit, alteri non magis adstipulor quam lectioni Iunianae. Neque enim psaltriae iuxta musicam satis commodus locus est, neque eiusdem esse puto cum psalte psallere, sed cum Flora lurcari ac strepere. Flora enim musicae nomen esse videtur, quod minime mirum est traditum fuisse meretriculae, quum propter Floralium lasciviam, in quibus id genus muliercularum praecipuae quaedam partes erant,[1]) ipsa dea meretrix fuisse putaretur [2]). Accedit quod ex inscriptionibus intelligitur neque omnino insolitum fuisse hominibus deorum imponere nomina, et in libertinarum genere Florae nomen minime fuisse infrequens. Fortasse etiam ipso Floralium tempore huius saturae quasi scaenam esse poeta finxit, qua de re infra dicendum erit. Virum quoque est, quod in Gruteri Inscriptionibus p. CCCXXXI, 2 commemoratus invenitur psaltes Ibycus, quum ab Horatio carm. III, 15 uxor pauperis Ibyci Chloris ob lasciviam perstringatur, Chloris autem Graecum nomen sit Florae (Ovid. fast. V, 195), mirum, inquam, si tempora congruant. Utcunque est, hunc certe nihil attinebat testem adhiberi uxoris nequitiae, itaque par erat nominari alium, cuius eaedem fere partes essent, quae tibicinis in exodio Stichi Plautinae. Nihil enim opus est emendatione, quum iustum sit nomen Pisias ac ne a musicis quidem genere alienum. Fuit certe Athenis antiquae comoediae temporibus quidam Pisias, Meletis citharoedi pater, Cinesiae dithyrambici avus (Meineke com. Graec. II, p. 257), et quum in tali hominum genere ars fere esset hereditaria, hominum in ea arte celebrium nomina novis cuiuslibet causa natis imponere, quemadmodum hodie, ita etiam antiquitus parentes solebant. Quamobrem, dum probabilior emendatio inveniatur, in tradita lectione acquiesco. Versum autem puto esse iambicum octonarium

contra cum psalte Pisia et cum Flora lurcare ac strepis;

qui versum eum, de quo primo loco diximus, aut continuo aut paucis interiectis videtur excepisse.

3. Nonius II, 473 p. 121, 8. „Hornum ipsius anni. — — Varro Eumenidibus: *cum in eo essem occupatus, atque in schola curaret, inscribit Scantius, orno per Dionysium.*" Idem IV, 327 p. 355, 31. „Occupare est rursus detinere. — — — — Varro Eumenidibus: *cum se eo esset occupatus, atque in scola curarer, ut scribit Scantius horno per Dionysum.*"

De prima persona verbi *essem* priore loco omnes consentiunt, eandem pro tertia persona altero loco Iunius restituit. *schola* priore loco omnes, altero edd. inde ab Ald., Venet. cum cod. W *scola* posteriore Venet. *quod* pro *atque*. *curarent* pr. l. edd. ante Iunium, *curarem* Iunius et Mercerus, altero ante

---

¹) Ovid. fast. V, 349. Senec. epist. 97. Valer. Max. II, 10, 8. Martial. I, 35. Lactant. divin. instit. I, 20, 10. Arnob. adv. nation. VII, 33, atque eadem de re sine nomine deae Tertullian. de spectac. 17.

²) Minuc. Fel. 25. Arnob. III, 23 (ubi al. genetrix). Lactant. div. inst. I, 20, 6 sqq. Schol. Iuvenal. 6, 249.

Basil. omnes *curarel*, cod. B. *curarem inscribi* pr. 1. manu, item altera *ut scribit*, nisi quod in margine huic esse dicitur *inscribit*, e priore, ut puto, transsumptum. pro *horno* poster. loc. ho Venet., *hamo* bas. 1563 (alteram non vidi). *Dionysum* ante Ald., poster. loc. *Dionisia* Gothofredus.

Popma huius loci cum eo, quem quartum Oehlerus fecit, coniuncti hanc esse sententiam voluit: „Die meae genethliacis, quo decebat convivas festive et hilariter accipere, ego in ianuam inseram inscribi CAVE CANEM, ne ingrederentur qui ad me convenerant; et cum in eo essem occupatus, atque in schola res graeco et scriba translatarem, Scantius, homo festivus inscribit: H. P. D. id est frugibus ipsius anni praebebit et convivas accipiet." [1]) Atque quem iam Scaliger castigat. in Propert. IIII (V), 3, ibi locos ita coniunxisset, ut legeret: *Quum in eo essem occupatus, atque in schola curarem inscribi T. SCANTIVS HORNO PER DIONYSIA* quod ea die mea erat praebitio, in ianua *CAVE CANEM* inscribi iubeo, hoc quoque accepit Popma verbisque *curarem inscribi T. Scantius h. p. D.* explendae sententiae causa adscripsit „habebit scholam" adlecto etiam loco Luciani Hermotim. 11 *πινάκιον γὰρ τι ἐκρέματο ὑπὲρ τοῦ πυλῶνος μεγάλοις γράμμασι λέγον τήμερον οὐ συμφιλοσοφεῖν*. In quibus quidquid inest acuminis, non opus est ostendere pluribus, quam pro *inscribi* legendum esse ut *scribit*, ut iam vidit Turnebus adversar. XXIX, 28, ita nunc altero certe loco codicum auctoritate comprobatur, atque Varronis consuetudini consentaneum, quem constat ne in versibus quidem a citandis auctoribus abstinuisse, ut in Gerontodidascalo ap. Non. IIII, 66 p. 261, 7

> nón vides apud Ennium
> esse scriptum: ter sub armis malim vitam cernere
> quam semel modo párere

Ὑδροκύων fr. 1 ap. Gell. XIII, 31, 14, quod fragmentum in versus redigere conatus sum Philol. p. 26 n. 19, sed nullis mutationibus legi posse intellego:

> — nón vides apud Mnesitheum scribi tria
> genera esse vini [2]) ...

Anthropopoli fr. 5 ap. Non. XVII, 16 p. 551, 7

> nón modo vinúm hoc, sed etiam, út Plautus ait, murrhinum,
> passum, bufonium . . . . [3]),

Bimarco fr. 25 ap. Non. VI, 1 p. 446, 7

> . . . . cum Quintipor
> Clódius tót comoedias sine ulla fecerit
> Musa, ego libellum unum non édolem, út ait Ennius, [4])

Ταφὴ Μενίππου fr. 5 ap. Non. III, 158 p. 227, 17 et VIII, 66 p. 481, 21

> . . . . perréxit
> in interioris pártis domuis pósticae, ut ait Plautus,
> nuptiissime . . . . [5])

[1]) Ita in ed. Lugdun. a. 1590 paulo aliter atque in ed. Francker a. 1591.

[2]) V. 1 *apud* monosyllabum, v. 3 *esse* pyrrhichius.

[3]) Plauti locus est Pseudol. 2, 4, 51, apud quem quod verba *murrh. pass. defr.* priorem septenarii trochaici partem efficiunt, indicio est, Varronem id sibi sumpsisse, ut aliorum poetarum versus ex ipsorum numeris in suos transformaret.

[4]) Vulgo legitur *unum libellum*, v. 2 multi: *sine ulla fecerit comoedias*.

[5]) Plaut. Pers. 4, 3, 58. 71. Cistellar. 1, 1, 65. Sed dubitandum est an alium quendam ex deperditis fabulis locum Varro respexerit, nisi Varronem potius quam Plautum imitatus est Apuleius in l. Hermagoras, cuius haec verba referuntur a Prisciano instit. grammat. III, 1, 4 (p. 599 P. 105 K. 83 H.): „visus est ei adulescens honesta forma quasi ad nuptias evocatus trahere se in posticorem partem domus."

c

Medio fr. 6 ap. Non. II, 536 p. 141, 7

> quid illud est quod Delphice canat columnas literis
> suis γνῶθι σεαυτόν, quam nos facere ad immortalem modum
> medisimo, *ut quondam patres nostri loquebantur* …? [1])

Eandem in citando frequentissime uti videmus formula *ut scribit*. [2]) Non dubium est igitur quin etiam magis fefellerit coniectura eum, quisquis est, quem repeti voluisse *irrepsit* ex margine huc cognoscimus. Scriptor sane Scandius quis fuerit quisve ediderit, prorsus ignoratur. Quem si quis de hortorum villaeque cultu scripsisse suspicetur, non adeo improbabile sit. Nam incertum quidem est num idem sit, a quo poma vel mala dicta sunt Scantiana (Varro r. r. I, 59, 1. Plin. nat. hist. XV, 14) itemque uvae Scantianae (Varr. I, 58. Plin. XIV, 4), quoniam, ut mittam eodem malis apud Columellam V, 10, 19 nomen esse scriptum Scandianis, quae etiam aliis locis reperiri dicitur varietas, ob ipse ille Catone, quo neminem antiquior literis Latinis de re rustica praecepisse traditur (Columell. I, 1, 12. Plin. XIV, 4), commemorata sunt mala Scantiana r. r. 7, 3. 143, 3, ut fortasse eodem nomine uvae 7, 2, nisi aut interpolati sunt hi loci aut similiter ac in Scantio res habuit atque in M. Perecnato Nolano et in Manliis, quorum praecepta in eodem libro Catoniano relata legimus c. 152. 153. Sed tamen tali in gente, quum studia maiorum studia hereditaria esse soleant, facile poterat aliquis existere, qui illorum inventa ac praecepta etiam literis mandaret, nec tamen librum, peritiae fortasse quam elegantiae scriptum, ad posteritatis memoriam posset propagare. Quid? quod „horas curari est frugibus et vino ipsum nunc fovari et all", ut scribit Turnebus l. l. Ab eodem enim scriptum est *curarer*, quod pariter atque ut scribit Oehlerus recepit. Cogitanda igitur est schola medicorum, qualem instituisse Romae videtur Asclepiades ille Bithynus, qua in schola, quum esset hominum Graecorum, Graeco et ritu et nomine agerentur non Vinalia aut Liberalia sed Dionysia [3]), ipsiusque aegri, qui se scholasticis curandum tradidisset, per illud festum curationem non aliam fas esset fieri quam horno i. e. vino. Tempora autem ita conveniunt, ut, si Dionysia intelligantur τὰ ἐν ἄστει, quorum mensis Elaphebolio ad Martium referri potuit, homo post Dionysia ex schola dimissus potuerit non multo post incidere in Galloram frequentiam (frgm. 38), quum Megalesia Romae agerentur inde a prid. Non. ad IV Id. April. (Marquardt Röm. Alterth. III p. 448). Ac fateor me aliquantisper in hac loci interpretatione acquievisse et sic legendum putasse

> … … … … cum in eo
> essem occupatus, ut curarer in schola,
> ut scribit Scantius, horno per Dionysia;

ut enim pro *atque* scientia, verborum transpositionem minori flagitare videbatur

1) Vers. 2 sei incorruptus sit: ut *facere nos ad mortalem modum*?

2) Huc ad haec afferam exempla: ut *scribit Theophrastus* de re rust. I 2, 7. 40, 1. ut *scribit Dicaearchus* 30. II, 1, 4. ut *scribit Piso* II 1. 2. ut scribit in *Annalibus Piso* de ling. Lat. V. 34. 155. ut *scribit Timaeus* r. r. II, 5. 3. ut *scribit Manilius* l. L. VII, 2. 10. at verbo post nomen posito: ut *Archelaus scribit* r. r. III, 11. 4. ut *Aelius scribit* l. L. V. 4. 21. 25. ut *Polybius et Callimachus scribunt* V. 23. 110. at *Fabius scribit et Iunius* VI, 4. 33. ut *Cassentus scribit* VI. 3. 68. ut *Opilius scribit* VII. 3. 67. 4, 70. ut *Aurelius scribit* VII, 3, 70. ut *Accius scribit* VII, 5. 96. ut *Cato et Ennius scribit* VIII. 61. 7. ut *Chrysippus scribit* X. 3. 56. Non minus saepe eodem antecedenti verbo usus est in aliis commentatoriorum auctorum formulis, ut Critonis r. r. I. 22. 3. 60. I. II, 5. 6. 4. 11. Lucili r. r. I. 4. 1. l. L. V. 30. 182. VII. 3. 32. Laevii I. r. I. 12. 3. 58, I. 2. Sisennae I. 16. 2. 29, I. Aelii I. L. V, 3. 18. Mollii I. 6. 31. Pisonis V. 32. 140. Cornelii et Lutatii V. 97. 150. Plauti VI. 2, 7. Cosconii VI. 6. 89. Opilii VII. 3, 50. Aurelii VII. 3. 65. 5, 116. Claudii VII, 3. 66. 70. Lucilii VII. 5. 96. Manilii VII. 5, 135. Theophrasti I. r. I. 37. 5. 40, 3. Archelai II, 6. 5. III. 12. 4. Apollodori I. L. V. 28. 105. Sophronis V. 26. 177. Aristotelis VII. 3. 70. al.

3) Non solent uti Dionysiorum nomine Latini, nisi a ut de Graecis loquuntur: ut Plaut. Pseud. I. 1. 57. Cist. I. 1. 96. 3, 8. Curc. 5. 2. 45. Terent. Heaut. I, 1, 110. 4, 4. 11. Tertullian. apolog. 39. Neque Prudentius in Symmach. II. 857 rem Romanam tangit.

Sunt tamen quae, quominus in ea sententia persistam, impediant. Nam ut *Scauteus* vel excogitationem habeat a sanoze Lachmanniana (comm. in Lucret. II, 719), quod legere licet *Scautjus*, primum verba non transponere quam transponere praestat, deinde Turnebi interpretatio, quamvis ingeniose ac eleganterque excogitata, neque alio exemplo ullo confirmatur, quo hornum simpliciter dictum sit pro frugibus hornis vinoque horno vel, ut all XVI, 17, annonam significet, neque aut cum Nonianis illis „hornum ipsius anni" satis convenit aut cum Lucilii versu ibidem relato:

viram ánno no hocno iéte abstuleris á viro, ¹)

ubi adverbialiter dictum horno i. q. hoc anno, ut Plaut. Mostell. 1, 3, 3, anno i. q. anno superiore, ut Plaut. Amphitr. prol. 91. Menaechm. 1, 3, 22. Truncul. 4, 4, 30. Adde quod occupati esse in aliqua re parum commode dicuntur qui aliquid in se fieri patiantur potius quam qui ipsi faciant, nec satis tutum est expellere vocem *atque*, cuius si prior pars mutari facile poterat cum voce *ut*, quam sane necessariam putamus, altera tamen unde nata sit non est perspicuum. Quae quum ita sint, dubitare coepi an intercidisse quaedam videantur in dicto Varroniano, quae quidem lacunae indicari facilius quam probabiliter expleri posset. Tum igitur, donec meliora inveniantur, sic verba constituo

cum ²) *in ea essent occupatus* [*ut* . . . .]
atque in scola curarem, ut scribit Scaurus,
hornum . . . . . *per Dionysia.*

Mutili loci non integram esse sententiam, minime mirum. *Scolam* ³) autem locum certum intelligo, quo collegium quoddam sive sacrum sive profanum certis quibusdam diebus coiret. Cfr. Acta Collegii Aesculapii et Hygiae ap. Orell. Inscript. 2417: „item pl. pr. Non. Nov. collegi dividerent ex reditu s. s. in scholam a praesentibus q. q. ·X· VI imm. sing. ·X· IV cur. sing. ·X· IV panes IV vinum mensuras q. q. —S— IX patr. coll. —S— IX imm. sing. —S— VI. cur. sing. —S— VI. populo sing. —S— III." Or. 4947: „locus in quo aedificata est schola sub pr. consecrato Silvano et collegio eius sodalic. mancipio acceperunt immunes et curator et plebs universa collegi eius" etc. Add. Gruter p. CLXIX, 5. 6. 7. CLXX, 3. 4. all. *Curarem* autem ad magistri officium in facienda cena vel epulo anniversario videtur pertinere, ut in titulo Lanuvino Collegii Salutaris Dianae et Antinoi ap. Henzen 6086 col. 2: „item placuit, quisquis magister suo anno erit ex ordine a. ad cenam faciendam et non observaverit neque fecerit, is arcae inferet HS XXX n., insequens eius dare debebit et in eius loco restituere debebit", et in titulo apud Caposele in monte Oppidi reperto ap. Mommsen I. R. N. 212 = Henzen 6085: „conveniratque ii qui in collegio sancti ad epulandum curantibus suis cuiusque anni magistris." Eiusmodi collegia quod non raro etiam servorum esse invenimus, ad Strobili personam egregie convenit. Quod autem quae attulimus exempla Caesarum tempora prae se ferunt, neque omnino collegia tenuiorum nisi sub Caesaribus commemorantur, id non eiusmodi esse mihi videtur, ut illa vel collegia vel scholae a Varronis temporibus abiudicari debeant, qua de re cum plurimus dicendum sit quam pro huius loci cognitio cfr. Marquardt röm. Alterth. III p. 132 sqq. et qui ab illo

¹) Scripsi * ete* pro *te*. Scaliger ad Propert. 1. 1. scripsit *te abstuleris*.

²) Cfr. Fleckeisen in n. Jahrb. f. Philol. u. Paedag. LXI, p. 51 sq.

³) Ita scripsi quod etiam fr. 48 in libris omnibus est *scolica* et *scolastici*. SCOL. Gruter p. CLXX 2. Mommsen I. R. N. 6667. SCOLAE O. Jahn spec. epigraph. p. 20, 61 = Henzen 7014. *Scola* cod. Salisburg. Cic. pro Mil. 1748 et Amagh. cod. Gruev. item codd. Erfurt. Erlang. Valle. Menas Cicer. in Pis. 25, 60. *scolastico* Apul. met. II, 10 codd. Guelf. 1. 2. Vix autem videntur vv. dd. cum varietatem ex libris mss. ubique cum diligentia notasse.

c*

laudantur. *Horum* quorsum pertineat, intelligi potest ex illis „magister suo anno“ et „suis cuiusque anni magistris“. Lacuna igitur, quam v. 3 indicavi, in hunc fere modum satis apte explebitur

horum faciundam cenam per Dionysia.

Ad illa denique *per Dionysia* quod attinet, aut idem fere, quod supra, dicendum est, Graecos homines fuisse eo in collegio, qui Graeca deo Graeco ritu ac nomine festum agerent, praesertim quum Romanae¹) potius aut in aliquo Italiae oppido semigraeco aut in ipsa denique Graecia vel totius Saturae huius vel earum, quae his ipsis verbis narrantur, scenam Varro finxerit, pro certo dici non posse videatur: aut, si fides est scripturae *per Dionysia*, cogitanda nimis illa celeberrima, quam iam a. u. 678 floruisse et floruisse etiam a. u. 692 colligitur ex locis Cicer. pro Rosc com. 8, 23 et Gell. I, 5. Quae Dionysiae commemoratio etsi ad tempus saturae satis congruat, de quo dicendum erit ad fr 16, et, de genere ac de merendo quod dictum est in Ciceronis loco, habeat quo referenda videri possint frgg 5 & 7, tamen eorum verborum quae cum superioribus coniunctio sit, etiam minus perspicuum est, ut, qui fieri hunc lectionem velit, cum necesse sit etiam plura putare intercidisse. Ac sane, etsi non dico factum, fieri tamen potuisse arbitror, ut ipse Nonius auctoris alicuius ac fortasse M. Valerii Probi silvam observationum sermonis antiqui expilans, dum in v. horum versatur, ab exempli Varroniani voce *horno* oculis in tertii cuiusdam exempli vocem *horum* aberraret, deinde aut ipse locum sic a semet mutilatum aut aliquis supplementorum capitulae in alium librum v. ocenpoce transferret. Viderint sagaciores. — Utcunque vero statuendum erit, si universa interpretatio nostra probabilis, hunc locum cum fr. 4 etsi non apparet coniungendum esse, id quod voluerunt Scaliger et Popma, hoc tamen eorum coniecturae tribuetur non immerito, ut in simili uterque locus ac fortasse eodem versatus esse argumento nec adeo longe alter ab altero fuisse in ipso carmine coniectus existimetur.

4. Nonius II, 647 p. 152, 32 „Praebitio a praebendo id est exhibendo. Varro Eumenidibus *quod ea die mea erat praebitioni, in ianuam CAVE CANEM inscribi iubeo*.“

Dativi terminationem vitio dittographiae natam iam pridem vv dd sustulerunt. Pro *cane* Adr Iunius *canis* coniecit incautius.

Petronius 29, 1 de domo Trimalchionis „ad sinistram enim intrantibus non longe ab ostiarii cella canis ingens catena vinctus in pariete erat pictus, superque quadrata litera scriptum CAVE CAVE CANEM“. Item illis temporibus mutatam etiam nunc aedes Pompeianae testari dicuntur²) Opus autem erat cautione propterea quod in cella ianitoris sive ostiarii haberi solebat canis, interdiu ille quidem plerumque catena alligatus, noctu autem et certis de causis unnunquam etiam alio tempore resolutus, ut Suetonius Vitell. 16 narrat Vitellium paulo ante quam trucidaretur confugisse „in cellulam ianitoris, religato pro foribus cane“. De canis praemonitionis Gothofredus non incommode allegat locum edicti aedilicii Digest. XXI, 1, 40—42 ne quis canem, verrem vel minorem aprum, lupum, ursum, pantheram, leonem, aliudve quod noceat animal, qua vulgo iter fiet, ita habuisse velit, ut cuiquam nocere damnumve dare possit, si adversus ea factum erit et homo liber ex ea re perierit, solidis ducentis, si nocitum homini libero esse dicetur, quanti bonum aequum iudici videbitur, condemnetur, ceterarum rerum, quanti damnum datum factumve sit, dupli“ in quo post illud „aliudve noceat animal“ adnotatum hoc a Paulo ICto legitur „sive soluta sint sive alligata, nisi coniigari vinculis quominus damnum inferant non possint“. Similem apud Graecos morem indicat Aristophanes Lysistr. 1212 sqq [illegible]

¹) Dionys. Halicarn. antiqu. II, 19 [illegible] Cfr Trechimer l'all des Heidentums I p. 74 sqq

²) Beckerus in Gallo sc. II exc. I (vol. II p. 158 ed. alt) citavit Mus. Borbon. 6 tav 56. Gell Pompeji I p. 148

ἐκλαβέσθαι τὴν κύνα. Cfr Casaubon. ad Theophrast. charact. 4. Becker Charikles sc. III exc. I (t. I p. 181 ed. pr.) Hinc ipse Varro saturae cuidam elogium fecerat Cave Canem, ad quod nonnulla de hac formula adnotata sunt a Popma et Oehlero, cuius saturae unum quod superest fragmentum emendavi in Philologo p. 231.

Praebitio fieri poterat ex lege aliqua collegii, ut est in titulo Lanuvino Collegii Salutaris Dianae et Antinoi col. 2 exposito ordine cenarum quotannis faciendarum: „magistri cenarum ex ordine albi facti, q(u)o ordine homines quaterni ponere debe(b)(unt) vini boni amphoras singulas et panes a. II, qui numerus collegi fuerit, et sardas (nu)mero quattuor, strationem caldam cum ministerio". Si collegium erat hominum litteratorum, non venire poterat quod narrat Gellius XVIII, 2, 2 de Saturnalibus quibusdam Athenis agitatis: „conveniebamus autem ad eandem cenam complusculi, qui Romani in Graeciam veneramus, quique easdem auditiones eosdemque doctores colebamus, tum qui et cenulam ordine suo curabat, praemium solvendae quaestionis ponebat librum veteris scriptoris vel Graecum vel Latinum et coronam e lauro plexam", et quae sequuntur cognitu non infecunda. Potest etiam cogitari de mutitationibus, quales patricii Megalensibus facere soliti traduntur, plebes Cerealibus, Gell. XVIII, 2, 11; cfr Gell. II, 24, 2. Ovid. fast. IV, 353 sqq. Verrius in Calend. Praenest. prid. Non. April. Praebendi verbum in re convivali minime infrequens, velut Horat. carm. III, 19, 5 sat. I, 4, 88.

His allatis Forcellinum, quum sic hunc locum interpretaretur: „quod ea die coena a me praebenda erat, iubeo inscribi *cave canem*, ut ignotos et parum mihi amicos a mea mensa arceam, vel ne tam frequentes adsint convivae sumptusque levior sit", non errasse illum quidem omnino apparet, neque tamen rem acu tetigisse, quod autem dicit „potest etiam illud *cave canem* proverbii speciem habere, quod admoneamur, cavendos esse maledicos et obtrectatores", id ab huius loci ingenio plane abhorreat atque vix ad aliam illam saturam hoc elogio inscriptam convenire.

Versus iam in Philologo p. 245 sic dixi esse constituendos:

quod ea die mea
erat praebitio, in ianua CAVE CANEM
inscribi iubeo

Cave pyrrhichius esse potest in circumlocutione imperativi vetantis, quamquam sic quoque iambum admisit Lucretius II, 735, alibi, ut videtur, sua lege tutum, ut Plaut. Mostell. I, 4, 13 Horat. epist. I, 6, 32 Ovid. metam. II, 89. ¹)

5. Nonius II, 864 p. 181, 3: „Tricinum, tardum et quasi impeditum, vel siccum et sine suco, ut sunt capilli, qui Graece tricis dicuntur. Varro Eumenidibus: *quod tunc quaestus tricenus erat, nunc est uber, ut quaestus sit magnus*"

Pro *tricus* iam pridem rescriptum est τρίχας, ut *tricinus* pro *tricenus*. Optime, sed fucum fecerunt viris doctis usque grammatici. Credentes enim a capillis dictum esse vocabulum scribendum putaverunt *trichinus*, ut scripsit Iunius. Scripsit etiam Scaliger ad Copae v. 8 sic reformato versu:

quod trichinus quaestus erat, nunc etiam uberrimus

Tarentinos enim dixisse τρίχινον pro spisso, a pilis, trichinum quaestum vocari spissum, *spissum* autem veteribus fuisse tardum, unde *spissigradissimi* acuris et *spisse venire* i. e. βραδέως Plauto, et multa praeterea alia. Significare ita Varronem quaestum tardum et *sero* venisse. Cuius sententia male intellecta Oehlerum in perversam plane opinionem abduxit, quam persequi nihil attinet. Verum de Tarentinorum glossa utcumque se res habet, — neque enim adhuc quidquam mihi compertum est, — ea id quidem

¹) Propert. V, 6, 48 „Tu *cave* spinosi rorida terga lupi"; ex emendatione vv. dd. libri omnes *cape*.

consectarium est, si apinam pro tarde dici posit, posse etiam Tarentinum illud *trichinum*. Satis autem intellegitur requiri vocabulum ubertati oppositum, idque ita comparatum, ut, vocis grammatici notationem unde naiae sint, aliquatenus perspiciatur. Iam ipse Nonius ait 1, 20 p. 8, 15 „*tricae* sunt impedimenta et implicationes, et *intricare* impedire, morari: dictae quasi triae, quod pullos gallinaceos involvant et impediant capilli pedibus implicati" Qui locus quamvis corruptus, indicio certe est, tricas, unde doctus intricandi vel, si placet, intricinandi ¹) verbum, huic grammatico visas fuisse quasi quaedam τρίχας. His igitur capillis possum intricatis extricandum puto hunc, de quo scribimus, locum Varronis. Etenim a nomine, quod est *tricae*, factum est epitheton *tricinus*,²) uti editum est a Mercerio scribendumque intellexit Salmasius ad Spartian. vit. Adriani c. 10. Quod quo sensu Varro dixerit, intellegitur collato loco Plauti Rud. 5, 2, 35

GR. Quid dare velis, qui istaec tibi investiget indicetque?
eloquere propere celeriter. LA. Nummos trecentos. GR. Tricas.
LA. Quadrigentos. GR. Tramas putidas. LA. Quingentos. GR. Cassam glandem.
LA. Sescentos. GR. Curculiunculos minutos fabulare,

c. q. s. Qui locus pariter atque versus ille Martialis XIV, 1, 7

sunt apinae tricaeque et si quid vilius istis,

documento est, non solum impedimenta et implicationes significare tricas, sed etiam res viles ac nullius pretii. Ac Martialis quidem quum etiam I, 113, 2 epigrammata sua modeste ac paene contemtim apinas dicat, videtur secutus esse fabulam illam etymologicam, de qua Plinius nat. hist. III, 11, 104 „Diomedes ibi" (Apuliam dicit) „delevit gentes, Monadorum Dardorumque et urbis duas, quae in proverbii ludicrum vertere, Apinam et Tricam". Eandem nescio an Varro indicaverit eo, quod adiectivum condere duxit desinens in *inus*, quod genus quum ab animalibus patina, ut aquilinus viperinus, atque etiam locis, ut marinus, fieri soleat quam a rebus, in oppidorum Italicorum ac Siculorum nominibus ethnicis fingendis adeo frequentatur, ut hic apud Stephanum Byzantium [illegible] χαρακτὴρ appellari soleat; cuiusmodi sunt Tarentinus, Venusinus, Reatinus, Centuripinus etc.

Versus esse quidem potest septenarius trochaicus detracta ultima dipodia catalectica, sed elegantiores videntur esse numeri anapaestici in hunc fere modum dimetiendi

quod tunc quaestus tricinus erat, nunc est uber[rimus idem]

6. Nonius IV, 290 p. 345, 9 „Meret, humillimum et sordidissimum quaestum capit. — — Varro Agathone — idem Eumenidibus *primum iste, qui meret sesteritios vicenos*"

Ed. 1480 *primū e et sesterlius* — Versum Saturnium esse putavit Godofr. Hermannus el. doctr. metr. p. 640

primum iste qui merēt ses-tértiós vicénos

Neque in ipso versu est quod reprehendatur, si modo de toto genere apud Varronem satis constet. Equidem vereor, ne eo prorsus abstinuerit. Hic certe fuisse potest iambicus septenarius, quo numero admodum frequenter Varro in saturis usus est. Potest enim legi

primum iste qui meret sestertios vicenos

De quaestu diurno hominis mercennarii cfr. Cicer. p. Rosc. com. 10, 28.

7. Nonius IV, 290 p. 344, 25 „Meret, meretur — — — — Varro Eumenidibus *quae plus, inquit, merere debet, in quo est virtus*"

¹) De forma verbi cfr. Salmas. Plinian. exercitat. p. 398 e 564 e (ed. Paris 1629) ad Spartian. vit. Adr. 10 et ad Capitolin. vit. Maximin. 9.

²) Contra *tricinus* tunica est *trichina* in Vita S. Pelagiae meretricis c. 12. Cfr. Du Cange gl. Latinit. p. 456. 457

Ed. 1490 in *quo virtus est.* — Hic quoque versus Godofr Hermanno l. l. visus est esse numero Saturnio

quia plus, inquit, merere — debet, in quo est virtus,

hunc quoque equidem malim ad eundem referre septenarium

. . . . quia plus, inquit, merere debet

in quo est virtus . . . .

8. Nonius III, 59 p 199, 16. „Corium neutri est generis. Corium masculini. — Varro Eumenidibus *nunc corius ulmum tuus depavit, pergis? heia!"*

Corrupit Iunius eumque secuti Popma et Gothofredus lectionem codicis translato huc ex Lucilii versu, qui superest apud Paulum exc. Fest. v. Degavere p. 70 Müll., verbo *depavit*, refragante et non metro et certe sententia. Neque enim a paviendo, unde *depavere* pro *depavio* Selino c. 2 Salmasius restituit, sive a paviendo (v. Paul. exc. Fest. v. obpuviat p. 191. v. pavis p. 244 M.) ducendum est verbum, quum virgis caedi terga absurdum sit dicere, sed a depascendo, festivissima comicis hyperbole, qua verberandis nequissimis illis servis ac *μαστιγίαις* flagra virgasque detrimentum capere perhibent, ut in ipso quem Nonius attulit versu Plaut. Poen. 1, 1, 10

tris facile contrivisti corios bubulos,

a quo id genus flagritribae vocantur ab eodem Plauto Pseud. 1, 2, 5 et ulmitribae Pers. 2, 4, 7. Popma, qui ad Gallos fanaticorum more discurrentes seque ipsos caedentes et cruentantes Varronis versum retulit, satis ipse se refutavit.

Multum fluctuarunt veteres scriptores Latini in neutrandis nominibus secundae declinationis modo masculinis in us modo neutris in um desinentibus, cuius rei plurima exempla Nonius congessit in hoc ipso libro tertio, qui est de indiscretis generibus inscriptus. Quorum in copia digerenda qui ratione uti volet, plura discernere debebit genera, in quibus aut incunstantia quaedam sermonis mansit, aut antiquitatis et inquilinae popularis captatio fraudesque analogiae ac versuum hexametrorum dactylicorum necessitates valuerunt, neque illud omittendum est, quod servorum, provincialium, alienigenarum barbaries corrupit vel ad horum imitationem licentia comicorum sibi indulsit. Cuius generis exempla sunt absinthius Varr. Quinquatr. fr. 1 (vid. pag. 5), caelus Petron. 39, 5, balneus 41, 11, vinus 41, 12, malus fatus 42, 5. Gruter Inscript. p. DCLXI, 6. DCLXII, 5, cubiculus p. CLXXII, 9, ac satis frequenter in titulis collegius, ut Orell. 2413 Henzen 6072. 7185 7186 all. Cfr. Studer in Rhein. Mus. N. F. II p. 77 sq. Bernhardy röm. Literat. n. 240 p. 322 ed. III. In his servilis linguae vitiis etiam *corius* videtur habendus esse, cuius tertium exemplum invenitur in versu Plautino ap. Paul. exc. Fest. s. v., p. 60 M.

iam tibi tuis meritis crassus corius redditur.

De voce *heia*, pro qua Iunium secuti Gothofredus et Popma *hera* ediderunt, vid. Hand. Tursell. II p. 363 sq.

Versus hic quoque videri possit esse numero Saturnio, quem tamen quum a comoedia, cuius in hoc versu indoles quaedam atque imago lucet, alienum fuisse indicemus, hunc quoque iambicum septenarium esse statuimus, nunc quidem capite suo truncatum

. . . *nunc corius ulmum tuus depavit; pergis? heia!*

9. Nonius IV, 328 p. 365, 23. „Occupare est properie praevenire. — — — — — — — — Varro — Idem Eumenidibus *priusquam responderem, foris nescio quis occupat res indicare."*

Popma *foras*, codd. Genev. et Bern. 83 *nescio quid*. — Versus sunt iambici senarii, in hunc modum finiendi

. . . . *priusquam responderem, foris*

nescio quis occupat res indicare . . .

De vocis nescio prosodia et accentu vid. Ritschl. p. CLXVII. CCXXIV. E posterioribus cfr. Phaedr. fab. III, 6, 5.

10 Nonius XII, 34 p. 528, 5. „Vel pro etiam est. — — — — — Varro Eumenidibus: *ex his atque eius modi institutis ac vita vel ad Herculis atla athletae facti erant.*"

Popma *huiusmodi*, *atla* vel potius *athla* primus ex codice suo restituit Mercerus. — Versus videntur fuisse septenarii trochaici tales

his atque eiusmodi institutis de vita vel ad Hérculis
athla athletae facti erant

Si ex retinendum, prior versus octonarius iambicus fuit, quod genus etiam apud scenicos non raro cum trochaicis quadratis miscetur. Alterius versus numeri nescio an gratiores futuri sint, si legeris: *áthla facti erant athletae*, nisi *athlós athletae facti erant* a Varrone scriptum fuit. Sed Hygini fabularum caput 31 inscribitur „Herculis *athla* XII ab Eurystheo imperata", itemque in excerpto quod est in Dositheï interpretamentis, ab Ampelio c. 2 Hercules et Theseus „similia *athla* adepti" dicuntur, quod exemplum tamen aliquid dubitationis habet, apud Petronium 57, 11 gannisset qui dicit „haec est vera athla", non genere feminino, ut quidam voluerunt, sed neutro, ut 71, 33 „faciatur, si tibi videtur, et triclinia". Etiam quae ab astrologis *athla* vocata sunt graeco nomine apud Manilium III, 162 193, ad Herculis similitudinem appellata esse, tum ipse latino laborum nomine significavit v. 160, tum diserte annotaverunt interpretes. Illud enim Ammonii: ἆθλος καὶ ἆθλον διαφέρει· ἀγωνισμὸς μὲν γὰρ τὸν ἀγῶνα δηλοῖ, οὐδετέρως δὲ τὸ ἔπαθλον, ne Graecos quidem semper servasse, adnotavit Graevius ad Lucian. soloecist. 2. Contra quod in Glossariis Hildebrandi et varie corruptum in aliis legitur: „aslum, spolium," recte Henschelius ad Du Cange s. v. videtur interpretatus esse ἆθλον.

11 Nonius XIX, 6 p. 543, 32 „Patella. Varro Eumenidibus: *patella esurienti posita provocat Neapolitanas piscinas*"

Ed. 1493 *esuriri provocant posita*. — Numeri manifesti sunt, modo scribas

patellula esurienti posita provocat
Neápolitanás piscinas

Deminutivum et sui similes habet, ut puellula,¹) pauxillulum, alia (cfr. Diomed. art. grammat. I p. 326 ed. Keil), et est sententiae aptum, qua celebratur illud Socratis, optimum esse sibi condimentum famem et τὰ ὄψα ἥδιστα ἐσθίοντα ἥκιστα ὄψου δεῖσθαι. — De L. Luculli ad Neapolim piscinis, in quas ille monte perfosso maris flumina immisit, memoriae prodiderunt Varro de re rust. III, 17, 9 et Plinius nat. hist. IX, 54, 80 ²)

¹) Id ipsum in Pseudul. Apollinis fr. 1 ap. Non. VII, 2 p. 466, 6 Mercerus et Lachmannus Varroni restituerunt. Nominis cum deminutivo suo permutati exemplum hic quoque unum apponere licet. Περὶ ἐξαγωγῆς fr. 8 ap. Non. II, 875 p. 117, 23, ubi genetivum *et* ante *ob* vulgo legitur:

non vituperemus, cum scimus digitulum
praecidi oportere, ob eum rem gangraena si
ad brachium non sit ventura

Etiam apud Plautum Cistell. 2, 1, 46 legendum

do me omnes magis minutique ti patellulis
fuxint etc.

²) Quod sequitur exemplum ex Manio (fr. 10) sic lego:

quocunque oportet [et] bonum civem legibus
parere et deos colere [et] in patellam dare μικρὸν κρέας

An procului oportebit?

Pag. 12 lin. ult. legas tanquam supplementum versibus.